



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Margarita Evangelica**

**Essche, Nicolas van**

**Coloniae, 1545**

ascensus per Christi corpus. 14

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49323](#)

MARGARITAE EVANG.

Qualiter primo nos lauabimus & ascende  
mus per Christi corpus cruentatum,  
Cap. XIII.

**P**rima scala, qua peruenitur ad monte, est  
ipse Christus dñs, qui idē est triplex scala,  
per quam ascendere debemus, idq; in tripli  
ci gradu, in actiuā videlicet, sp̄iritali ac deifor-  
mi vita. Primo aut, vt supra dictum est, in fonte  
bus saluatoris, eius videlicet sanguine precioso  
nos mūdabimus, & deinde per primā scalam,  
Christi videlicet corpus cruentatū ad monte cō-  
scendemus, atq; per illud veniā petemus de om-  
ni abusu membroꝝ & quincꝝ sensuū nostrorū.  
¶ Primo itaque ad pedes eius, quibus nos annis  
plusq; triginta tribus tā humiliter quæsiuit, qđ  
que modo ad perpetue nobiscum permanēdū  
ad crucem fecit clavis ferreis affigi, accedere, &  
male transactae vitæ nostræ veniā petere debe-  
mus, ipsumq; rogare, vt nos deducat in via sua,  
& ingredi faciat in veritate sua. Deinde, ad ge-  
nua ipsius venire debemus, quæ propter nos to-  
ties nocte ac die flectere dignatus est coram co-  
lesti patre suo, ipsumque rogare, vt nobis indul-  
geat, quicquid per acediā deliquimus. Deinde  
ad corpus, quod propter nos tam crudeliter tra-  
ctatum est in captione, ligatione, impulsione, illu-  
sione, flagellatione, coronatione, crucifixione, ac  
turpissima morte, vt nobis per hoc vera castita-  
tem ac mundiciā corporis donare dignet. ¶ De-  
inde, ad cor ipsius amorosum, qđ præ amore ad  
instar cœli dilatatu erat, quatenus nos in illo ha-  
bitaremus: ipsumque rogare, vt corda nostra ab  
oībus cogitationibus perueris mīdare, eacp; frī  
gida



## L I B E R   II.

gida nimis in amore ac gratiar<sup>um</sup> actione ealefa-  
cere dignetur. Deinde, ad sanctissima brachia et  
manus ipsius, quæ toties in oratione & operi mi-  
sericordiæ exhibitione extendit, & iam pro nostra  
rum salute animarum in cruce conclavari,  
ipsumq<sup>ue</sup> rogare, vt oia opera nostrâ iustitia ac  
misericordia exornare velit. ¶ Deinde, ad sacra  
tissimū os eius, q<sup>uod</sup> nobis verā vitæ doctrinā mul-  
to clamore deprompsit, & animas nostras qua-  
siuit, quare adeo salutē sicutiebat, vt aceto ac felle  
potari dignaretur, ipsumq<sup>ue</sup> deprecari vt indul-  
geat nobis, quicquid siue verbora superfluitate,  
siue cibora ac potuū delectatiōe peccauimus, nos  
que vera ac sobria sapiētia exornet. Deinde ad  
oculos misericordiæ, e qbus largissime fontes la-  
chrymar<sup>um</sup> profluebāt, qn̄ videbat tantā iniuriā  
patris, tā irreparabile damnum animar<sup>um</sup>, & dile-  
cta matris suæ tam inæstimabile dolorē: veniā  
que petere de eo, q<sup>uod</sup> oculos cordis nostri toties ab  
eo auertimus, ipsumque rogare, vt interiores o-  
culos nostros illuminare, atque in se firmare ve-  
lit. Deinde ad sacras aures eius patientissimæ pu-  
ritatis, qbus improperia & terribiles Iudæorū  
clamores atque strepitus, & lamētabiles voces  
ac planctus dilectæ matris suæ, aliorumq<sup>ue</sup> ami-  
cor<sup>um</sup> suorum audiebat, atq<sup>ue</sup> per hoc veniā depre-  
cari, q<sup>uod</sup> aures nostras interiores diuinis inspirati-  
onibus suis, & superior<sup>um</sup> nostrorū admonitioni-  
bus ac instructionibus applicare, prout teneba-  
mur, negleximus. ¶ Deinde, ad sacratissimū ca-  
put ipsius, qd in Jordane prius baptizari fecit,  
nostra baptismū in suo baptismo sanctificās, &  
mō tam crudeliter spinea corona sauciatur, et spi-  
nans diris aculeis trāsfossum & sanguine perfu-  
gida

P   iñ   sum

MARGARITAE EVANG.

sam est, ad emundandū ea, quæ post baptismum peccata cōmisimus, atq; per illud veniā petere de abusione baptismi & quinq; sensum nostrum, ipsumq; rogare, vt' hos eosdem sensus nostros mūdare, & subitus spineā coronā suam cōcludere, & in suo nos sanguine baptizare velit, utq; intra nos habitare, & corporalē naturā nostrā abscondere, & in suam humanam naturam transformare, siccq; ab omni tētatione inimici in suo abscondere tabernaculo dignetur. Et in hoc sensualis ac inferior homo noster in gradū suum per Christi corpus ascendit, & iā in pede montis cōsistit, nec in hac vita vltterius procedere valeat. Et ideo semp̄ quasi incipiētes sumus, et ad exemplū humanitatis Ch̄ri, q; semp̄ erat bonis actib⁹ int̄cta, in actiua vita p̄sistere necesse habemus.

Qualiter secūdo loco per alteram scalam, quæ est tristissima Christi anima, ascendere debeamus. Cap. XV,

**S**Calæ deinde secunda, per quam ad montis introitū ascenditur, est Christi anima, q; sic erat interiori passione ac dolore perfusa, vt in interiori illa cruce præ amore in omnibus vi-  
tibus suis magna vi extensa esset usq; ad altitudinem cœli, profundum inferni, & latitudinem ac longitudinem terræ. Etenim quanta fuerit interior ista dñi afflictio, in solo duntaxat vitabro scriptum est, qui signatus est sigillis septem, quem nemo aperire potest, nisi agnus qui sedet in throno. Qualiter vero liber iste omni amoro-  
sa anima aperitur & sentiri datur, literis exprimi nō potest. Etenim interior illa poena, in qua Christiana crucifixa atq; disticta fuit, tā inco-

para-

